AD ILL.VM ET REUER.VM DOMINUM D. PETRUM ALDOBRANDINUM S.R.E. CARDINAL...

Francisco Cabrera Morales

IN NATALEM
ILLVSTR.^MI ET REVER.^MI
DOMINI D.
PETRI ALDOBRANDINI
S.R.E. CARDINALIS AMPLISS.
CARMEN.

Doct. Francisci de Cabrera Morales Hispani patria Brocensis.





ELICI reuoluta venit lux aurea cursu,
Quæ festo Petri tempore, sacra facit.
Cuius ego aduētu tenuē mihi suscito musam,
Atque rudi accipio plectra canora manu:
Nam memorare tuas, Princeps lectissime Petre,
Mirificas laudes, mens studiosa iubet.
Sed quis flammigeræ describat fulmina linguæ?
Eloquij vires, multiplicesque notas?
Pro grege quis valeat Pastoris dicere curas?
Quem sibi substituit summus in orbe Deus.

Aut quis inextinctos sacrati pectoris ignes ?
Factaque tàm Petri nomine digna canat ?
Parce igitur vati suprema clauiger arcis,
Terrarum doctor, dux bone, sancte Pater.
Sat nunc, si nostro cantetur carmine Petrus,
Qui tuus huic populo dignus alumnus adest.
Et Tu digne Nepos Clementis gloria magni,
Littus, & aura bonis, anchora tuta pijs,
Est quoniam tibi nomen idem, præsaga futuri
Vox animi fortis, quo tibi dextra viget.
Audi, quæ vates Natali carmina mittit
Facta tuo, obsequij pignora certa sui.
Nam veluti lucem veteres cecinère poetæ,
Quo quis de matris ventre reclusus erat:
Sic nos cùm Sancto laudes Ecclesia cantat,
Cuius, quis natus, nomina sacra gerit;
Natalem meritò, quo quisquis homonymus aura
Incepit vesci, dicimus esse diem.
Nam quando est tinctus sacra baptismatis vnda,
Tunc vere natus creditur esse Deo.
Tunc recipit nomen, tunc miles & àrma capessit,
Nomine subque illo militat ipse polo.
Sub Petri flores positus tutamine Petrus,
Et Petro debes nomina, resque tuas.
Seu gentilicium, seu sacro fonte receptum
Sit nomen, memorem te iubet esse sui.

Moribus

Moribus hanc lucem castis, pietate, fideque,
Religione tua, iustitiaque coles;
Ast ego carminibus, (quoniam maiora Poetæ
Haud præbere valent) concelebrabo meis.
Ergo quatèr nostris lux iam decorata camænis,
O Romæ felix terque quaterque veni.
Gratulor, incolumi venias quòd læta Patrono,
Gratulor, intègro corpore quòdque valet.
Gratulor, aucta magis quod se noua gloria tollit,
Et crescit meritis te veniente nouis.
Bisque octo comitata viris quòd murice sacro
Indutis, magnis principibusque micas;
Gratulor; & grates maiores pectore condo,
Quàm mea tam tenui carmine lingua sonat.
Aduentum si forte tuum, sub Principe Petro,
Quo numero possis claudere, nosse cupis,
Quotquot sylua suis diffundit folia ramis,
Quot flores campus, germina cultus ager,
Quot volucres cælum tranant, quotque æquora pisces,
Aut quanta vndiuagum littus arena tegit.
Quodsi nostra procax nimium tibi musa videtur,
Æquetur meritis, si placet, hic numerus;
Totque dies Petro sacratos, cernere Petrus
Ipse queat noster, quot iuuat ille viros;
Quot bene facta suo populo fert dextra benignas
Italiæ quotquot munera iusta dedit.

Ro-

Romanos quotquot decorat, quotq; ornat Hetruscos;
Quot fauet externis, indigenisque potens.
Quotque fouet doctos, inopes quot pascit egentes;
Denique virtutes pectore quotquot habet.
Tot liceat Domino faustos vixisse per annos,
Vt queat egregio Principe Roma frui.
Vt quas mutarat, terras Astræa reuisat,
Et lancem recto pondere firma regat.
Vt queat auspicijs Clementis viuere felix,
Italiæque diu sceptra tenere pius.
Aurea sic etenim durabunt sæcula, verax
Iustitiæ cultus, pura, tenaxque fides.
Vix quisquam credat quantum iuenilibus annis
Possis, & canos Petre imitère graues.
Explicat eximias sub tanto pondere rerum
Vis animi dotes, ingeniumque, suas.
Nam cum sustineas tot, & ampla negotia Princeps,
Te cernunt omnes pluribus esse satis.
At moli tantæ, ualido quam robore suffers,
Vix satis ille humerus magnus Athlantis erat.
Herculeas tamen ipse manus imitatus, vt ille
Prælia non puero, vicit agenda puer.
Sic tu paruus adhuc fœcundæ examina mentis
Monstrasti, magnis non subeunda viris.
Et lanugo tuas cœpit cum pingere malas,
Vicisti docto vix superanda seni.

Hincque

Hincque tuas vires Clemens expertus, & artes,
Participem molis te facit esse suæ.
Atque vtinam tempus veniat cùm tota recumbat,
Nixa humeris eadem machina sacra tuis.
At quò me rapuit laudum succensa voluntas?
Grandia non sulcat littora parua ratis.
Vt tamen ipse queam pelago me credere tantæ
Laudis, anhellanti porrige Petre manum.
Nam mihi si felix afflauerit aura fauoris,
Inuideo gazis non ego Crœse tuis.

ROMÆ, *Apud Aloysium Zannettum.* 1596.

